



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

XII. De poenitentia adulterii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

pus e latere suo dirigere debet sacerdotes , & alios ANNO
CHRISTI
....
 prudentes viros , gnaros legis diuinæ , & exercita-
 tos in ecclesiasticis sanctionibus , qui ordinando-
 rum vitam , genus , patriam , ætatem , institutio-
 nem , locum vbi educati sunt , si sint bene literati ,
 si in lege Domini instructi , diligenter inuestigent.
 Ante omnia , si fidem catholicam firmiter teneant ,
 & verbis simplicibus asserere queant. Ipsi autem ,
 quibus hoc committitur , cauere debent , ne aut
 fauoris gratia , aut cuiuscumque muneris cupidi-
 tate illecti , a vero deuiant , vt indignum & mi-
 nus idoneum ad sacros gradus suscipiendos episco-
 pi manibus applicent. Quod si fecerint , & ille qui
 indigne accessit , ab altari remouebitur , & illi ,
 qui donum sancti Spiritus vendere conati sunt ,
 coram Deo iam condemnati , ecclesiastica digni-
 tate carebunt. Igitur per tres continuos dies dili-
 genter examinentur , & sic sabbato , qui probati in-
 uenti sunt , episcopo repræsententur.

XII.

Si cuius vxor adulterium perpetravit , & hoc
 a viro deprehensum fuerit & publicatum , dimit-
 tat vxorem , si voluerit , propter fornicationem :
 illa vero septem annis publice pœniteat . Vir ve-
 ro eius illa viuente nullatenus aliam accipiat . Quod
 si voluerit adulteram sibi reconciliare , licentiam
 habeat : ita tamen , vt pariter cum illa pœniten-
 tiam agat , & exacta pœnitentia , post septem an-
 nos ad communionem vterque accedat . Similis
 forma & in muliere seruabitur , si eam vir eius a-
 dulteravit .